Quod igitur ostendimus commatis proportionem maiorem esse quam eam quam LXXV continent ad LXXIIII comparati, nunc ostendendum est quemadmodum minorem inter se proportionem contineant numeri spatium commatis continentes quam LXXIIII ad LXXIII comparati. Id vero monstrabitur hoc modo. Reminiscendum prius est quid in secundo volumine dixerimus, cum de mensura differentiae loquebamur. Si enim ex aequalibus proportione differentiam eorum numerorum qui eam continent auferentur, hi qui relinquuntur maiorem obtinebunt proportionem his numeris qui erant ante differentiae diminutionem. Sint enim VIII et VI. Ab his propriam aufero differentiam, id est II; fiunt VI et IIII. Sed in superioribus sesquitertia, in hac sesqualtera proportio continetur. Maior vero est sesqualtera proportio sesquitertia proportione. Sint igitur idem A atque B qui sunt superius descripti, quorumque differentia C. Multiplico differentiam C numeri septuagies quater; fit mihi numerus F, scilicet D XXVIIII CCCXXII. Qui numero comparetur si unicatur numero G, scilicet II CXVIIII. Rursus idem C multiplicetur septuagies ter; efficient numerum K, id est D XXII CLXVIII. Qui comparatur B numero, unicatur eodem G, eisdem II CXVIIII. Sublato igitur G de numeris A atque B, effecti sunt F atque K. Minorem igitur proportionem retinebunt A atque B quam F atque K. Sed F atque K eam retinent proportionem quam LXXIIII ad LXXIII. Hi enim multiplicato C effecti sunt. Minor est igitur proportio A atque B numerorum comma continentium quam LXXIIII ad LXXIII. Sed paulo ante monstratum est eandem commatis proportionem maiorem esse quam LXXV ad LXXIIII. Monstrati sunt igitur numeri qui comma continent maiorem quidem inter se habere proportionem quam LXXV ad LXXIIII, minorem vero quam LXXIIII ad LXXIII, quod oportebat ostendere. D XXXI CCCCXLI. D XXIIII CC XXXVIII. VII CLIII. D XXVIIII CCCXXII. D XXII CLXV. II CXVIIII.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| D XXXI CCCCXLI | D XXIIII CCLXXXVIII | VII CLIII | D XXVIIII CCCXXII | D XXII CLXVIII | II CXVIIII |
| A | B | C | F | K | G |

XII. QUOD SEMITONIUM MINUS MAIUS QUIDEM SIT QUAM XX AD XVIIII, MINUS VERO QUAM XVIIII S AD XVIII S.

Quod si ad semitonium minus talis speculatio convertatur, eius quoque proportionem facillime reperimus, quae constat inter CC LVI et CC XLIII. Sit igitur CC LVI A, CC XLIII B. Horum differentia XIII C. Dico quoniam A ad B minorem retinet proportionem quam XVIIII S ad XVIII S. Multiplicatur enim C decies novies semis, id est quotiens possit haberi XIII ipse maior, id est A; fiunt CC LIII S, quod sit D. Qui

Tredecies XVIIII CCXL
Tredecies semis VI et di